

4. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, Decree of the Secretary, March 5, 2013, Prot. N. 47312/12 CA—Revocation of faculties—No

Prot. N. 47312/12 CA

Revocationis facultatum

(Rev.dus N.—Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

In causa, de qua supra, Rev.dus N. die 2 novembris 2012 adversus decretum Congregationis pro Clericis diei 5 septembris 2012 (prot. n. 20122629) ad H.S.T. provocavit.

Exc.mus autem H.S.T. Secretarius decreto diei 18 decembris 2012 recursum in limine reiecit.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo perpensa;

Perspecto quod Rev.do Recurrenti, iuxta syngraphum receptionis, decretum reiectionis in limine pro intimato habetur (cf. cann. 56 et, saltem pro analogia, 1510), quodque ipse intra terminum peremptorium decem dierum (cf. art. 76, §3 *Legis propriae* H.S.T.), immo hucusque, recursum ad Em.mum H.S.T. Praefectum non interposuit;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 78, §3 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Litem coram H.S.T. finitam declarandam esse et facto declarari.

Et notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae e Sede huius Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 5 martii 2013.

✠ FRANCISCUS DANEELS, o.praem.

Archiepiscopus tit. Bitensis

Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, M.G.

Moderator Cancellariae